Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8343
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



Imperiale

Henricus dei gratia Romanorum imperator et semper augustus, omnibus in comitatu
Kuchulensi in utraque regione fluminis Salzache manentibus gratiam suam
et omne bonum. Nulli fidelium incognitum esse debeat, nec alicui prudentium
dubium esse credimus. Quod kadmie cuiuslibet metalli et saline et quecumque
pervenas subterraneas ad usus hominum provenire possint, iuris sunt imperii. Cog-
novimus etiam, quod quicquid horum intra terminos forestanos Berchtesgadensis cenobii
inventum vel excultum est, aut inveniri vel excoli potest, a secenissimo ac pyssimo
patre nostro Friderico Romanorum imperatore invictissimo et semper augusto, cenobio
prefato et fratribus mihi deo servientibus, iure perpetuo est collatum et imperiali
privilegio omni tempore tenendum et utendum in pace, est confirmatum. Unde
universis tam maioribus quam minoribus in Kuchulensi comitatu in utraque regione
fluminis Salzache et in circuitu eiusdem comitatus manentibus sub districta inter-
iuratione precipimus, ne quis mortalium cuiuscumque conditionis, fratres Cenobii prefati
Cenobii super salina in loco Toffal sita quam ipsi sub defensione et concessione
predicti genitori nostri semper augusti quiete possident et possident audeat infe-
stare seu aliquibus fraudulentis aut violentis machinationibus presumat inquietare
profecto sciente. Et si quis vesania vel ausu temerario ad iniuriam fratrum quicquam
attemptare presumpserit, deinceps iudicium et ira dei omnipotentis imperialis nostre
indignationis vindictam tu digna animadversione in eum exercenda incurrit.
Siquis autem est spectabilium personarum qui se iuris aliquid in eadem salina ex-
istimat habere, nullo temeritatis ausu, sepe dictos fratres super hoc presumat
inquietare donec si iuri suo confidit coram imperiali vel regali audientia
causam suam exponens quod iustum est, rite exequatur, ne quis iure
suo fraudulentis machinationibus aut violentis nullatenus fraudetur. Datum etc.

Confirmatio Salinae in Toffal, quae hoc cessat.